

*Dispositio 2^a lox**Dispositio 3^a lox*

Ideo angeli dicunt effundere phialas. quia permittunt effun-
 di saracenos in christianos et regna heretica. Tercio notan-
 dum est. quod septem capitula sequentia loquuntur de statu ecclesie
 deformate sed reformande. quia in presente sextodecimo capi-
 tulo ponuntur septem plage ecclesie que idcirco dicuntur ultime
 quia nulla alia erit. sed absterget deus omnem lacrimam sancto-
 rum christianorum. In capitulo vero xvij. ponitur tempus damnationis
 et destructionis saracenorum quo ad inicium. In xviii. ponitur prima
 christianorum victoria principaliter contra turcos. In xix. ponitur secun-
 da victoria contra soldanum et arabes sabeos. In xx. vero ponitur
 universalis triumphus contra antichristi exercitum gog et magog. In
 xxi. ponitur reformatio ecclesie quo ad universalem fidem et evangelij
 susceptionem. et anathematizationem omnium heresum. et opinionum fal-
 sarum. et quo ad religionis et obedientie ordinem. In xxii. ponitur sta-
 tus omnium fidelium quo ad vite conversationem et expectationem future
 beatitudinis. Nec igitur septem ultima capitula nobis exponenda reli-
 querunt presertim iam expositis alijs quindecim capitulis precedentibus que
 ad litteram sub eis completa sunt. Dominus igitur sextodecimum cap-
 itulum dividit in tres presertim principales. Nam primo ponitur flagellatio eccle-
 siasticane. Secundo asie maioris. Tercio medietas europe. Et
 ideo clare erit. quod ait daniel vij. cap. Tradent inquit in manu
 bestie omnia regna per tempus et tempora et diversorum temporum. Primo igitur ponitur
 asiam punitam sub tribus plagis trium angelorum. quorum primus pu-
 nit arabiam. cuius metropolis est bosra. Pro quo nota quod in
 metropoli arabie cui preerat Berillus archiepiscopus ceperunt here-
 ses circa tempora Origenis ut tradit in ecclesiastica historia. Nec
 est arabia sabea in qua est mecha. in qua ortus est manmetus
 pseudo prophetas. et quod hoc regnum fuit cum suo patriarcha alexandri-
 no principalis causa omnium heresum. et recessus a sancta romana
 ecclesia. idcirco angelus eius custos effudit primam ire dei phialam
 permittens ibi nasci caput peccati antichristum et pseudo prophetam man-
 metum qui cepit ibi cogere ad circumcisionem et blasphemiam christi